mentum pedum ablutionem. Queris forte unde sciam quod sacramentum
sit huius remissionis. Maxime cum ipse dominus promiserit petro dicens.
quod ego facio nescis modo scies autem postea. nichil tunc de sacramen
to locutus est sed tantum exemplum inquit dedi vobis ut et vos ita fa
ciatis. Verum multa habebat illis dicere sed tunc portare non poterant.
Ideoque nec ex toto voluit eos ignaros et suspensos relinquere nec di
cere quod tunc non caperent. Vis autem nosse quia pro sacramento illud
est non pro solo exemplo factum? Illud attende quod petro dictum est
si non lavero te non habebis partem mecum. Aliquid ergo latet
quod necessarium est ad salutem quando sine eo nec ipse petrus partem habe
ret in regno christi et dei. Vide enim si non expavit petrus ad tante co
minationis terrificum verbum si non agnovit salutare esse misteri
um cum dicit. Domine non tantum pedes meos sed et manus et caput.
Et unde scimus quod ad diluenda peccata que non sunt ad mortem et quibus
plane carere non possumus ante mortem ablutio ista pertineat?
Ex eo plane quod offerenti manus et caput petro ad lavandum responsum
est. Qui lotus est non indiget nisi ut pedes lavet. Lotus est qui
gravia peccata non habet cuius caput id est intentio et manus id est
operatio et conversatio munda est. Sed pedes qui sunt affectiones anime
dum in hoc pulvere gradimur ex toto mundi esse non possunt quin aliquando va
nitati aut curiositati plus justo oportet cedat animus vel adhereat.
¶ de peccatis venialibus
In multis enim offendimus omnes. Verumtamen nemo contempnat
nemo parvipendat impossibile est enim cum eis salvari impossibi
le est eas dilui nisi per christum et a christo. Nemo in ista parte securi
tate dormitet declinans in verba malitie ad excusandas excusa
tiones in peccatis quia et audivit petrus ab ipso nisi laverit eas christus
non habebimus partem cum eo. Nec adeo tamen pro eis necesse est ni
mis esse sollicitos. Ignoscet facile immo et libenter si modo nos ag
noscamus. In huiusmodi namque quasi venialibus et negligentiis cul
pabilis est et timor immoderatus. Hinc est quod carere quaque ipse insti
tuit concedere pro peccatis illis videtur nos carere. Sicut enim de gravibus
diximus quod licet dampnationem abstulerit quia iuxta apostolum nulla
dampnatio est hiis qui sunt in christo ihesu tamen ad humiliandos nos ipsos
adhuc pati voluit in nobis et graviter affligere nos ut sentiamus quod
nobis gratia prestet et semper ad illius auxilium recurramus. Sic et
de minoribus istis peccatis pia dispensatione nobiscum agit ut ne penitus
auferantur sed in illis nos descendat et cum minima carere non pos
simus certi simus quod nostris viribus maiora superemus. semperque tamen
vigiles et animo solliciti simus quo eius gratiam non amittamus quam
nobis multiplicatam necessariam esse sentimus. || Sermo
unde supra de cena domini.

Vm vniuersa fecerit deus in pondere et numero et
mensura specialius tamen ea tempora quibus in terris visus est et
cum hominibus conuersatus est quecumque in eis operatus lo
cutus aut passus est ita disposuit ut ne minimum quidem mome
ntum ne vnum iota a sacramento vacaret aut preteriret sine mis
terio. Euidencius tamen quatuor proximos dies et ipsum quem hodie
colimus illustrauit diem processionis diem refectionis sue pa
ssionis requietionis sue resurrectionis sue. Notabiles admo
dum dies et misteriis insignes magis. Prima siquidem die gloriam sus
cipere est dignatus humanam et cum ingenti quodam tripudio et
exultatione vniuerse terre iherosolimam non propriis ut hactenus
consueuerat pedibus sed iumento vectus intrauit. Et hec quidem
ad passionem preparatio fuit excitata hinc maxime iudeis sacer
dotum. Sane venturas aliquando turbas ut raperent eum et regem fa
cerent fugiens legitur declinasse. Nunc vero et non quesitus af
fuit ut tamquam rex istis susceptum et procederet ab eis qui etiam in
hec ipsa premia eorum quod dubium non est auc excitauit. Sic mini
rum et de passione aduertendum est. Exiuit quippe et abscondit se a
iudeis nec volebat iam ambulare in iudeam palam quia querebant
eum iudei interficere. Sciens autem quod venerat hora eius tamquam
potestatem habens spontaneus ipse se obtulit passioni. Decebat
nempe pontificem nostrum temptari per omnia pro similitudine
absque peccato ut tamquam verus homo et perfecta hominis et aduersa
oportune vitaret oportune susciperet et utriusque rerum in tempore
nobis salutare preberet exemplum. Ut enim temperantie est premia
populi et seculi huius prosperitatem declinare sic interdum iusti
ne certa quidem dispensatione admittenda. persecutionem quoque
et temporales omnes aduersitates pro loco et tempore prudenter aliquando fu
giendas erit. cum autem necesse fuerit viriliter tollerandas. Et in hiis
quidem duabus prosperitate et aduersitate loquor humana omnis vita
versatur. nichilominus tamen in quatuor illis notissimis utriusque spe
ciebus virtus vniuersa consistit. Utriusque ergo omnem virtutem im
plere decuit eum in quo plenius inhabitabat omnis plenitudo vir
tutum ut notum fieret omnibus quam maxime id sciret honorare sci
licet et penitentiam pati. non enim sapientia dei de hiis erat quos
occidere posset prosperitas sua. non dei virtus de hiis erat quos per
dere posset aduersitas utrumque enim scriptum est quod prosperitas non
tamen omnium sed stultorum occidat eos et aduersitas non utique quorum
libet sed paruulorum perdat eos. Quam modeste tamen hanc ipsam
videtur gloriam suscepisse ad triumphalem occursum in asino veni
ens non in curribus aut in equis et dicebat. Si quis vobis ali

quid dixerit dicite quia dominus his opus habet. Magnum opus opus
salutis. nempe homines et iumenta salvos facies domine quemadmodum multiplicasti
misericordiam tuam deus. Initia nostre conversionis fuerunt ista digna-
tio ut primum ex ancilla filium generemus. servitus est ad mandatum
domini qui antea vinctus tenebatur aut non valens aut nolens facere
bonum aut utroque fortius vinculo alligatus nec volens scilicet
nec valens. Non novit interim parvus in domo gratulari persuasio te
nec placere illi quod agit et consolatur in eo quod sibi cum quodammodo sese facere
reputet arbitrio nam processu temporis in eo magis afficitur ut suo
sollicitet arbitrio et timeat ne et forte tantis beneficiis inveniatur ingra-
tus dicens quia servus inutilis sum et bonorum meorum non eges. Ad hec
quidam verax affectio et fidelis hec filius liber in quo ancille filius
heres non esse possit. Sic ergo in processione || Ceterum ante passio-
nem affectuosissimus paterfamilias refectionem suis curavit dome-
sticis exhibere. Et in hoc quoque apparuit benignitas et humanitas sal-
vatoris. Cum dilexisset suos in fine dilexit eos et dicebat desiderio
desideravi hoc pascha manducare vobiscum antequam patiar. Oportebat
enim. expetierat enim sathanas ut cribraret sicut triticum. opus
erat plurime refectione. denique et refecti paulominus defece-
runt. quid ieiuni fecissent. Hinc fuit quod non modo corpora sed
etiam corda quod maxime refert. Neque enim corporalis passio sed et
impietatis spiritualis instabat quod singularis ille futurus esset donec
transiret. Et unica hostia sicut sola prodesse poterat sic sola suf-
ficere. nec deerat ipsum simul et petrum et (aut) iacobum ut iohannem pro sa-
lute hominum pati. Crucifixi sunt cum eo fuere alii duo sed duo nequissi-
mi de quibus nulla prorsus suspicio posset haberi. quamquam ex eis u-
nus effectum sic fuerit suppleverit. Quibus ergo panibus in cena re-
fecit apostolos. Ut ego arbitror quinque. Meus cibus est ut
faciam voluntatem patris mei. cibus utique sed cibus cordis. quid e-
nim eque confirmat et corroborat cor humanum aut ita in
omni necessitate confortat et sustentat ut divine exercitio vo-
luntatis velut in quodam anime ventre consistere solet inge-
sta. Sic et sermonem divine exhortationis et promissionum eius
contemplationem et orationum lacrimas panes cordis esse solus ille
ignorat cuius iam aruit cor pro eo quod fuit prius panem comede-
re oblitus. Super omnia autem ipse dominus verus est cibus et cibus
vite panis de celo vivus. Nullum ex his in hac tam solempni
cena dominum defuisse reperies si diligens advertas. Recumben-
tibus adhuc discipulis surgit a cena precingitur linteo aquam
ponit in pelvim discipulorum pedes abluit et extergit. nam est

Non est voluntas carnis et sanguinis hec. voluntas patris est
et sanctificatio vestra. denique si non lavero te ait dominus ad petrum
obnixius recusantem non habebis partem mecum. Sanius autem quis
dixerit. Eum qui venit ad me non eiciam foras quia descendi
de celo non ut faciam voluntatem meam sed voluntatem eius qui misit
me. Oportune autem et utique more suo post exemplum operationis ex
hortatorios sermones adiunxit. nec loquendum quoque copiosissimus
extitit sermo nam multis eos promissionibus propter instantem
maxime passionem refovet eos et refocillare curavit de resur-
rectione sua de adventu pacliti de eorum confirmatione et assumpti
one aliquando ad se ipsum. Nec multum post ventum est ad crucem et usque
terre in agonia factus orabat. ubi quidem non solis oculis sed quasi mem
bris omnibus flevisse videtur ut totum corpus eius quod est ecclesia totius corporis
lacrimis purgaretur. Nam de sacramento quidem corporis et sanguinis
sui nemo qui nesciat. hanc quoque tantam et tam singularem alimo
niam eo primum die exhibitam eo die commendatam et mandatum deinceps
frequentari. || Ex hoc iam dies sequitur passionis in qua nimirum si
cut totum hominem salvum fecit sic de toto se fecit hostiam salutare
corpus exponens tantis suppliciis et iniuriis. animam vero gemine
cuiusdam teneriore compassionis affectui. hinc quidem super me
rore inconsolabili sexus feminarum. Inde super dispersione discipu
lorum. In hiis igitur crux domini fuit. et hec omnia propter nos pas
sus est qui tanta caritate compassus est nobis. Verumptamen que de
eo ipso erant finem habuerunt sicut ipse lamentantibus mulieribus ait. finem
utique clarissimum et celeberrimum. primo quidem requiem deinde
resurrectionem. Nos quoque si festinamus in illam ingredi requiem
per multas tribulationes nobis intrantibus procedendum. Et prius
quidem donec sumus in tribulatione magnum nobis videtur suspirare
ad requiem tamquam nichil simus amplius desideraturi. Verum
non erit nobis requies nec in requie quidem ipsa a desiderio glorie
a desiderio resurrectionis. Amodo inquit iam dicit spiritus ut re
quiescant a laboribus suis. A labore ergo requiescunt qui in do
mino moriuntur. sed non requiescunt minime a clamore. denique
sub throno dei clamant anime occisorum. Et si nichil habeant
quod molestet nondum tamen totum habent quod delectet donec requiem
resurrectio donec sabbatum pascha sequatur. A. M. E. N.

Et sic est finis huius prime partis.

LANDES-
UND STADT-
BIBLIOTHEK
DÜSSELDORF

Expliciunt Sermoneſ beati bernardi abba
tiſ hyemaleſ de tempore et de ſanctiſ. In
cipiunt ſermoneſ eiuſdem de tempore et
de ſanctis eſtiuales . . . . .